

nunc est profecto interfici quom perpeti me possum,
 ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
 sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi 5
 qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat enicet
 555 quid gestiam aut quid laetu' sim, quo pergam, unde emergam,
 ubi siem
 vestitum hunc nanctu', quid mi quaeram, sanu' sim aine
 insaniam !

AN. adibo atque ab eo gratiam hanc, quam video velle,
 inibo.

Chaerea, quid ēst quod sic gestis? quid sibi hic vestitu' 10
 quaerit?

quid ēst quod laetus es? quid tibi vis? satine sanu's?
 quid me adspectas?

560 quid taces? *CH.* o festu' dies hominis! amice, salve:
 nemost hominum quem ego nunc magis cuperem videre
 quam te.

AN. narra istuc quaeso quid sit. *CH.* immo ego te obsecro
 hercle ut audias.

nostin hanc quām amat frater? *AN.* novi: nempe, opinor, 15
 Thaidem.

CH. istam ipsam. *AN.* sic commemineram. *CH.* quae-
 dam hodie est ēi dono data

565 virgo: quid ego ēiu' tibi nunc faciem praedicem aut laudem,
 Antipho,
 quom ipsum me noris quam elegans formarum spectator siem?